



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.2. Actum intimæ contemplationis, nec perpetuum, nec diuturnum esse,  
posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

in carne mortali tanquam Seraphini amore arserunt, & ad summum gradum divinæ contemplationis pervenerunt.

## §. 2.

*Actum intima contemplationis, nec perpetuum, nec diuturnum esse posse.*

NEque omittendum videtur, quod non parùm facit ad rem præsentem: quos Dei bonitas illo perfectæ contemplationis dono dignatur, eos non assiduè in illo lumine divini vultûs ambulare, aut in illud intrare quoties aut quamdiu libuerit. *Quis enim* (inquit S. Bernardus) *non dico continuè, sed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur?* Nempe spiritus, uti ubi vult spirat, ita quando vult, & quantum vult. Et licet nonnullis Sanctorum concessum fuisse sciamus; ut objectâ sibi qualibet rerum divinarum specie, & ad minimum quasi divinæ gratiæ attractum, confestim raperentur in Deum; alijs autem, ut, cum clauso ostio cordis, & compressis omnibus animi sui motibus, sese ad orandum in Dei conspectu componerent (ut olim Elisæo contingebat, ad citharæ harmoniam, irruente in illum spiritu Domini) illico divina paterentur: neque tamen in illis vehementior hîc divinorum sensus consuêrat, aut omnino poterat, esse perpetuus; Vt propterea quandoque Deum impensius rogarent, ut illam subtraheret cœlestis gratiæ divinæque dulcedinis copiam, quòd ei continendæ impares sentirent angustias cordis sui. Quò spectat & illud Gilleberti Abbatis: *Anima mea liquefacta est, deficiens à comprehensione, & non sufficiens ex vehementi & violenta dulcedine, persistere & morari in admiratione.* Atque istud quoque quod modò dixi, paucorum est. fit enim plerumque, ut (quod sermone quodam suspirans agebat S. Bernardus) divinæ illius contemplationis ac frui-

Serm. 51.  
in Cant.

Serm. 44.  
in Cant.

Serm. 23.  
in Cant.



tioris, sit rara hora, & parva mora; aut, ut alibi ait, ad tem-  
 pus, & tempus modicum, velut in transitu, seu (uti loquitur Serm. 32. in Cant.  
 S. Augustinus) *superstrictim & raptim, & quadam quasi co-* In Ps. 41.  
*ruscatione luminis aeterni.* Qui proinde etiam in libris Con- In Ps. 26.  
 fessionum suarum, illum commemorans mentis excessum,  
 quem inter loquendum de cœlesti gloria cum S. Matre sua,  
 expertus esset: appellat illum, *momentum intelligentiæ*, in-  
 quo *modicè toto ictu cordis & rapidâ tantùm cogitatione atti-* Lib. 9. c. 10  
*gerit aeternam sapientiam:* & postea agens de eo quod ex-  
 tremis animis experiretur, ita loquitur cum Deo suo: *Ali-* Lib. 10. c. 11.  
*quando intromittis me in affectum multum inusitatum intror-*  
*sum, ad nescio quam dulcedinem, qua si perficiatur in me, ne-*  
*sicio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hac eru-*  
*mnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor & multum*  
*steo, &c.* Hæc Augustinus. Denique, ut ait Gillebertus su-  
 præ: *gaudium contemplationis est instar puncti.*

Igitur neque qui perfecti sint, & dono etiam arcanae  
 contemplationis dignati, continuo amittent ex animo sa-  
 cræ humanitatis Christi imaginem, aut à recolendis vitæ &  
 passionis ejus mysterijs sibi prorsus cessandum existima-  
 bunt, sed huc revolventur, eaque se pascent commentatio-  
 ne, si quando à divinæ contemplationis sublimitate in se-  
 ipsos recident, & solitis curis atque ærumnis resorbebun-  
 tur. *Nolenti quippe animo* (inquit B. Gregorius agens de L. 30. Me-  
 ral. c. 24.  
*silentio contemplationis, quod in Apocalypsi dicitur fa-*  
*ctum quasi dimidiâ horâ) dum cogitationum tumultuosi stre-*  
*pitus se ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursus ad respi-*  
*ciendâ terrena, cordis oculum vehementer trahunt.*

Quamlibet sublimè subvecti esse videamur, attamen  
 semper homines sumus, non mentes à corpore secretæ: &  
 animus iste, quamdiu alligatus est corpori, non valet in re-  
 rum diviniorem obtutu, & illâ quasi contemplationis acie  
 diu consistere; sed sensim ad sibi familiares imagines, &  
 sensi-



fenibus suis cognata visa revertitur: & quamlibet contra alioqui contenderis, remittit sese, & ipsam etiam contentione languescit. Igitur his quasi adminiculis sustentanda est spiritus nostri infirmitas; & quadam exercitiorum vicissitudine, tanquam flabello, identidem est excitanda & redacendenda nostra devotio.

Esto, quando ita vis, instar candidæ ac perniciousæ columbæ, & libero volatu per auras excelsæ contemplationis evecta, æthere sublimi ac cælo puriore frueri. Attamen ubi summa quæque pennam exultante pervolaveris, dulce erit denique reverti ad arcam humanitatis Christi; dulce habitare in petra, & nidificare in summo ore foraminis, hoc est in vulneribus Salvatoris; dulce erit, interdum degere & gemere super rivulos aquarum, hoc est lacrymarum ex oculis Christi profluentium; & residere juxta fluentia plenissima, hoc est juxta torrentes sanguinis ex ejus plagis, & potissimum ex aperto latere, largiter scaturientis.

Neque verò Sponsa illa de Canticis (quæ animæ contemplatricis typus est) præsentem semper habet dilectum; sed subinde quærit, & non invenit, & vagatur exquirens si qua ejus deprehendat vestigia, ignorans ubi pascat, ubi cubet in meridie, & nunc à custodibus Civitatis, nunc ab adolescentulis eum pariter amantibus ac sequentibus, num eum viderint, aut de eo aliquid auditione acceperint, sollicitius inquirens.

In illa igitur dilecti velut absentia, in hac desolatione spiritus, in istis subtractæ diviniore dulcedinis intervallis, quid restare censemus animæ Christum IESUM amanti; nisi ut in ejus sanctissima vita ac passione sese occupet, & (donec iterum videat faciem ejus in jubilo) complectatur saltem morientem in lectulo crucis, quem viventem in sinu Patris amplectari non datur, in lectulo sanctæ contemplationis? Et privata splendore divini vultus, humiliter sedeat  
sub

*Gen. 8.**Jerem. 48.**Cant. 5.**Ibidem.*



sub umbra amabilis humanitatis ejus; sicut scriptum est: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo?* At de his hæcenus.

Veruntamen præterire non possum, magnam contemplatricem S. Tereciam, eo loco quem infra laudabimus, conscientiæ suæ directorem expressissimis verbis admonere: ne viam aliam sectari velit, quantumvis se fortè inveiant in summo apice divinæ contemplationis: quoniam ( ut subdit ) *istâ pergitur viâ securè.*

## C A P U T V.

*Quæ hæcenus à nobis demonstrata sunt, expressiori autoritate confirmantur.*

JAm verò ut doctrinam traditam confirmemus exemplis documentisque Sanctorum, paucos duntaxat è multis selegam, & eos quidem quos alioqui constat, non tantùm eximiam virtute atq; excellenti sanctitate præditos, verùm etiam ad sublime quoddam contemplationis genus divinitus evectos fuisse.

### §. I.

*Quorundam sanctorum virorum eam in rem documenta & exempla.*

ORDior à mellifluis S. Bernardo, qui in sua Cantici Cantorum explanatione, non uno loco id quod hic agimus tradit disertissimè. Nominatim autem sermone 43 ubi eum Sponsæ consilium ac prudentiam collaudasset, quæ dilectum suum ut fasciculum myrrhæ complexa, eundem inter ubera sua collocet, ut nimirum assiduè, tum in memoria, tum in ejus affectu commoretur; atque ad idem facien-